

NUMMVS VOTIVVS

HENRICI TERTII GALLIARUM

& Poloniæ Regis: cufus impositâ sibi Regni Galliæ
coronâ. Anno Christi

1575.



Ostquam Carolus IX. Galliarum Rex III. cal. Junij
nullo relicto hærede masculo, fatis concessisset: at-
que hinc amplissimum Occidentalis Franciæ re-
gnum ad Henricum fratrem, Polonorum Regem
per leges Gallicas devolveretur, mater, cui à Rege
tum temporis adhuc vivente, regni administratio
ad tempus demandata fuerat, eum è Polonia crebris
literis atque internuntiis ad se vocat. Rex minimè
occasione huic indormiendum ratus, nocte intem-

pestâ, celatoque abitu suo præcipuis Polonorum Regulis ac Proceribus,
Cracoviâ discedens equis dispositis in Moraviam: inde Viennam Austriæ,
inde Venetias, inde in Galliam veniens, Carolo Fratri succedit: relictis ta-
men post se ad Polonorum ordines literis latinè scriptis: quibus improvisi
successus sui causam ipsis aperit: prolixam gratiam pollicetur: hortaturque
ut quosdam ex primoribus suis ad sese in Franciam mittant; de emendan-
dis nonnullis in Regno Polonico secum deliberaturos. Paulò post adven-
tum in Gallias suum coronatur & ungitur 15. Februarij paucis rursus inter-
jectis mensibus sibi matrimonio jungit Carolam Borboniam, Ludovici
Ducis Momponserij, ex regio sanguine oriundi, filiam, Briellæ nuptijs ce-
lebratis. *Huiusmodi imposita coronæ duæ regnorum duorum sunt insignia Gallie & Polonia:*

*tertiam in calo sibi reservari confidit, spernendoq; illas, hanc suspicit. Fragiles
namq; ista, fluxa, caduca, multis rerum adversarum tempestatibus*

*obnoxia: hac celestis, securâ, immarcescibilis, æ-
terna. Author.*